

„vel liberos suos exteris Augustanæ Confessionis scholis, aut  
 „privatis domi Præceptoribus instruendos committere non  
 „prohibeantur, sed eiusmodi Landsassii, Vasalli & Subditi in  
 „ceteris officium suum, cum debita erga suos Superiores reve-  
 „rentia adimpleant, nullisque Turbationibus ansam præ-  
 „beant. *Ibid.* p. 128.

Recedunt.

§. XIV. Sed præter opinionem retraxere pedem in Pro-  
 jecto m. Ian. Anni 1648. Evangelicis tradito, omisso plane in-  
 tegro hoc paragrapho; l.c. p. 156. attamen ad ulteriorem horum  
 instantiam res denique ita fuit composita, prout superius con-  
 ceptis Instrumenti Pacis verbis retulimus. Neque vero quis-  
 quam existimet, hæc otiose satis a me tam prolixè enarrari, & in-  
 servire ea tantum implendæ chartæ; etenim, quantum ex Histo-  
 ria cum Legum Imperii nostri publicarum in universum, tum hu-  
 ius etiam Legis pendeat, perspiciemus ex sequentibus.

Differen-  
 tia inter-  
 cedit inter  
 Exerci-  
 tium Re-  
 ligionis  
 privatum

§. XV. Hactenus dicta si iam convertamus in succum &  
 sanguinem, apparet omnium primo, non a solis Iuris publici  
 Doctoribus inventam esse distinctionem inter Exercitium Reli-  
 gionis privatum atque domesticum, sed in ipsis Imperii Legibus  
 fundamentalibus radicatam deprehendi. Evidem videtur,  
 quod Status Evangelici ab initio duas tantum constituerint cul-  
 atque do-  
 tus religiosi species, Exercitium puta publicum atque priva-  
 mesticum. tum; (§. 4.) cum vero Catholici iis subditis, qui neque pactis,  
 neque obseruantia Anni decretorii erant muniti, ne privatum  
 quidem exercitium vellent concedere, neque spes supereret,  
 eos in aliam concessuros esse sententiam, tum demum necessi-  
 tate, matre novarum inventionum admodum fœcunda, eo vi-  
 dentur fuisse adacti, ut de tertia specie cogitarent, puta dome-  
 stica; hanc enim non ita nominabant quidem, at per partes  
 eundo descriebant, & a cultu Dei privato aperte distingue-  
 bant. (§. 5.) Et licet post hæc subinde privatum Exercitium  
 cum domestico confundi, certe utraque species a se invicem  
 non curate satis distingui videatur, in ultimis tamen Projectis  
 & que ac in ipso Instrumenti Pacis textu evidenter tres iterum  
 constituuntur Religionis Exercitii classes: etenim fit mentio  
 1) eorum, qui A. 1624. publicum Religionis exercitium obti-  
 nuerunt, 2) eorum, qui privato, & denique 3) eorum, qui  
 neutro